

*Næniæ exequiales*

*in Obitum*

*Lectissimæ & Pientissimæ F E M I N Æ*

**E L S Æ V O L-**  
**S C H O V I Æ b.m.**

*Viri Reverendi & Clarissimi*

**D N . M . A L E X A N D R I**  
**C H R I S T I A N I , ante Professoris in Acad.**  
Gryphisw. Ordinarij, Nunc ad D. Nicol. Archidiaconi  
vigilantiissimi, heu quondam charissimæ, nunc  
desideratissimæ conjugis.

*Magnificorum, Amplissimorum, Consultissimorum*  
*Speciatissimorum Majorum Dn. Dn. Dn. Dn.*  
*Dn. Dn. Dn.*

Joachimi Volschovij, Anno 1597. Defuncti, Sena-  
toris Gryphisw. ex Sibylla Mævia († 1630. 2. Julij)  
**F I L I Æ,**

Martini Volschovij († 1590.) Senatoris Gryphisw.  
ex Regina Engelbrechts († 1594.) &

Thomæ Mevij Doctoris Jcti, Consiliarij Ducalis  
& Professoris in Acad. Gryph. († 1580.)  
ex Anna Falken († 1612.)

**N E P T I S.**

**Martini**

[1630]

ST 449

344.  
Martini Volschovij († 1590.) Senatoris Grpphiswald.  
ex Gertrude Hunsteden († 14 . .)  
Joachimi Engelbrecht († 15 . .) Senatoris Gryphisw,  
ex Regina Tollers († 14 . .)  
Joachimi Mævij Consulis († 14 . .) Ina-Stargard.  
ex Gertrude Affelmans, († 15 . .) &  
Johannis Falcken Doctoris Jcti, Consiliarij Ducalis,  
Concellarij Stetin († 15 . .)  
ex Sibylla Brucmans († 14 . .)  
PRONEPTIS.

*Quæ magno desideratissimi mariti, Filiolorum,  
Fratrum, Sororis, propinquorum luctu 15. Julij 1630. beatè in  
Chriſto obdormiūt 18. Julij sepultura Majorum, que ad  
D. Jac. Hereditaria, Chriſtiano & ſolenniritu  
inferenda.,*

Honoris & condolentiæ ergo  
ſcriptæ à

FAUTORIBUS COLLEGIS  
& AMICIS.

*Vixit beatè Defuncta.*

Virgo	{	[26]	{	:	"
Uxor	{	annos	II	{	dies
Homo	{	[37]	{	.	.

GRYPHISWALDÆ

Typis heredum Jobannis Albini, Anno 1630.





## ILSA VOLSCHOVEN,

*Per Anag. sub Personâ Defunctâ,*

## HINC SALVE, SOLVO.



Lare Marite, jubet me terra excedere Christus;  
HINC SALVE, SOLVO: Cœlica ad astra  
vehor.

Proles blanda, jubet vis fati solvere: SOLVO,  
HINC SALVE; SOLVO: Cœlica ad astra vebor.  
SALVE! summa dies, vita cœlestis origo est:  
HINC SOLVO; SALVE: Cœlica ad astra vebor.  
Sic sociata Deo, sic consociata beatis  
Mentibus; aeternâ pace, beata fruor.  
Tempus erit, Venerande Marite, atq; optima proles,  
Cùm Postliminij jure videnda tibi.  
Interea ô SALVE & felices exige soles:  
HINC SALVE, SOLVO: cœlica in astra feror.

C. c. e. f.

LAURENTIUS LUDENIUS J. U. D.  
pro t. Magnificus.

Tu quoq; restabas è stemmate Völschoviorum,  
Per quam vana iterum gaudia cæpta forent.  
Lætitiae cursum dum mors in amœna moratur,  
Et luctu involvit ludicra cuncta novo.  
O nimium insperata mihi, insperata marito!  
O proli, ô generi mors inopina nimis!

Illijs

Illi<sup>s</sup> interea fas est agnoscere fasces,  
 Arbitrio cujus vitaq; morsq; fluunt.  
 Is, pro more suo, per amoenis miscet amara,  
 Gratior auxilij ut postmodo dextra siet.  
 Quæ cum nota tibi sint Mystra, affinis, iisdem  
 Te, precor, & curas sistere posse, Vale.

Seria condolentia contestandæ causa f.

BARTHOLDUS KRAKEVITZ  
D.

**G**enti Volschovie nimium fatalis hic annus,  
 Per g̃ catenatas funera mixta vices:  
 Quis non indoleat? Et eis simul additur ELSA  
 Vulnus Alexander funere grande dolet.  
 Erige te lassum verbo, Reverende Magister,  
 Quod solamen aliis juggeris, ipse cape.  
 Huc dilecta preit, nosmet quò tendimus omnes,  
 Ilxoris, ubi nobis terminus unus erit.  
 Confer cœlicolis terrestria singula, dices:  
 Desperata solo pax, ea certa polo.

Συμπαθείας contestandæ ergo

BARTHOLEMÆUS BATTUS  
D.

**P**lango! nunc pango threnos! nunc tristia pando  
 pepla! VALE dixit ILSA: REGIN: Genitrix.  
**Q**DEUS, ò cur tot dulcissima substrabis ora,  
 Germanas binas cum Genetrice mihi,

nondum

347

nondum elaps⁹ anno? be⁹ deploro tristia fata.  
A⁹t ad quid? FACTUM EST UT DOMINO PLACUIT.

Seriae compassionis & ultimi honoris  
ergo f.

JOACHIMUS VOLSCHOVIUS D.  
p. defunctæ Germanus.

---

**H**eu nimis importuna lues, inimicag⁹ Pestis  
Heu nimium dura es, dirag⁹ prob⁹ nimium! .  
Improba nec dignis parcis, diffundis in omnes  
Mortifern⁹ Virus pestis acerba tuum.  
Nec mater Gnatis, Conjunx nec chara Marito  
Te grassante magis jam supereffe potest.  
Utrumq⁹ hoc sentis, diro prob⁹ omne, duro  
Prob⁹ fato, demum Vir Reverende tuo;  
Dum subito sœvo pestis violenta veneno  
Uxor⁹ charæ claudit in orbe dies.  
Sed satum fatale, nibil. Manus Altitonantis  
Pestis, sic Domini sœva sagitta cluit.  
Ut te igit⁹ manus ipsa Dei jam tangit & angit  
Sic te soletur, sic tegat ipſe manu.  
Vulnerat bāc, alia sanet Deus, abstulit illa.  
Custodit charam sed manus hæcce tuam.

Dno. Compatri, Affini & Amico suo  
singulari condolent. seriæ test.  
ergo adjecit

JOHANNES SCHÖNERUS, Phil.  
& Med. Doctor.

A 3 Regius

oo oo

R<sup>egius</sup> expendens Pestis contagia Vates : 2.SAM.24.  
vers.14.  
*Hac, ait, ex Domini sunt capienda manu.*  
Et Famis & saevi nolebat noxia Martis  
Credens, quod Domini in Peste benigna manus.  
Nec sane à vero deflexit tramite Vates,  
Poenarum libeans pondera vasta pie.  
Bella Fames sequitur, quam concomitatur opaca,  
Pestis ; sed geminum terminat haecce malum.  
Nec Famis ærumnas nec Martis spicula sentit  
Peste cadens, ulnis tutus, ubiq; Dei.  
Sint haec moeste tibi curarum dulce levamen  
Frater, quum Vidui tristia fata premunt..  
Dilectam defles costam, quia peste revulsa,  
Influxit cordi vulnera multa pio.  
Ast pestis saevum noli incusare furorem,  
Olim quam junxit dextra Dei secuit..  
Pestiferâ lue , ceu digitis attracta benignis  
Jovæ, per mortem tecta poli subiit.  
Jam famis irridet, queis divexamur in Urbe,,  
Tormina; cum cœlis sit satiata cibo.  
Temnit crudeles, queis Mars nos angit in Orbe,,  
Artes ; cum semper pace fruatur ovans.  
Evasit mortem, cui quilibet Urbis & Orbis  
Incola subjectus ; cum superavit eam.  
Sic pòl Peste manum Domini persensit amatam,  
Costata tua, & Pestem, Peste refugit, Agri.  
Nullis, quæ miseros vexant, exposta periclis ;  
Sed quæ tacta fuit, tecta erit arce manu.  
Hanc venerare manum Jovæ perdocte Magister ;  
Profuit haec costæ, nec tibi obesse potest.

Con-

349

Congaude Uxori, quam mulcet dextra Jehovæ;  
Perfer ut hanc teneat, quam revocare nequis.

Affini & Fratri suo in Christo animitus condolens s.

BALTHASAR RHAW, SS.Th.L. & Prof.  
Ecclesie Marianæ Pastor.

Ergo tuos sequeris per amabilis ELSA propinquos!  
Christjanog, tuo sis ita tota dolor.

Ergo tuam sequeris matrem! Gnatisq, relicitis  
Meroremque, meram tristitiamq, cies.

Ergo tuam sequeris Reginam Diva Sororem,  
Solvitur in lachrymas inde relicta Soror.

Ergo tuum sequeris Martinum mortua Fratrem,  
Funus & ubertim Frater uterq, dolet,

Et Gens tota dolet VOLSCHOVIA. siste fletus  
Grandis & impleta hic signa videte diei.

Ultima que nostris nosmet citore reddet! Adesto  
CHRISTE, fac ut simus turba parata tube.

Ex animo condolebat.

M. JACOBUS GERSCHOW.

ILSABE VOLSCHOWEN

BONA LUCES LAUS VEHIL

E quid inhumani nec te truculentia lethi  
Intactam potuit pia linquere foemina? porro  
Ut soboli vivens essem columenq; marito.  
Nam BONA per vitam virtute fideq; fuisti,  
Atq; Deo atq; tuis semper servire parata:  
Hinc etiam LUCES, & LAUS ubi contigit inde;

Et

Et licet hanc laudem mors claudere cogitat urnâ,  
Nil tamen efficiet: nam cœlo contigit alto  
Jam jam mente V E H I tibi, plusq; capessere laudis.  
Interea, charæ qui mortem conjngis eheu  
Luctu prosequeris magno, Reverende Magister,  
Implicitum curis animum tu frangere noli:  
Instat enim Domini v'otis jam mille petitus  
Ecce dies, tibi quo conjux dilecta receptis  
Ossibus ac animâ vivens sistetur in ævum.

*Condolentie causa Dn. College suo scrib.*

M. MARTINUS Wendt Eccles.  
Gryphisw. ad D. Nicol.

**M**atronale decus tamulabitur ILSABE Wolschow,  
Nata Gryphisvaldi sanguine patritio.  
Ætherei verbi Preconi juncta MAGISTRO  
ILSABE ALEXANDRO, jam tumulatur humro.  
Hanc etenim non erubuit decus improba pestis  
Tollere nec summis parcere sueta viris.  
Vos ô VOLSCHOVIO pulcro de sanguine creti,  
Nupera qui Matris funera fletis adbuc.  
Funus ad hoc hodie retiquas addibete querelas  
Explavit numeros ista querela suos  
Sed licet hanc Fratres deplorent corde Sororem;  
Te tamen imprimis, docte Marite, decet.  
Namq; ut mente DEUM fidat sic corde maritum  
Fido dilexit rite probando fidem.  
Flere Marite decet, verum pietate regente,  
Cum grege sacrilego ne sine lege fleas.  
Nos enim iter medium sectarier usq; decebita  
Qui colimus sancti sacra statuta DEI.  
*Sufficit*

*Sufficit exequias (⁹ quid nos possimus ultra?)*  
*MANIBUS biscepiis exhibuisse pie.*

Dn. Compatri ac affini ex animo condolens  
non absq; gemitu pio appos.

M. JOHANNES Olthoff.

Cum plenisq; malum nobis commune feratur  
Æquo si haut pote sit, sed forti pectore: curas  
Sic Maro sic Plato solantur frigidè amaras:  
Frigidius mortem facundi mulcet Apollo  
Tullius eloquij, quia non dolor insit! inanes  
Nempe sacro hi, quod sancta docet solaminis usu  
Pagina, post mortem quā vita æterna relinqui  
Creditur; ut maneat manus diversa laborum  
Sic Censore Deo benè compensatio justo.  
Christiane ecce Decus Christi, Decus atq; Niclae  
Ædis, Vir Reverende, crucem quo pectore, firmo  
An toleres æquo? quærat qui avulsus amicā  
Parte sui quæ, inquam, fuit intima portio cordis!  
Quærere sollicitas non sum de hoc, quin mage amicum  
mulceri diëtis jubeo solantibus ægrum!  
Christus Christiano qui inflixit vulnus amico  
Erigat & sanet, soletur sospitet idem.

*Συμπαθείας e.s.*

M. JOHANNES Bischoff ConR.

Est miserum, & durum, si disjungantur amici,  
Et durum & miserum est, si divellantur amantūm.  
Quippe duo paria, unanimi qui mente fideque  
In vita longum tempus vixeré jugali.  
Est durum, fateor, si divellantur amantūm.

B

Quippe

*Quippe duo paria, unanimi qui mente fideque  
Sacrum conjugio multos vixere per annos.*

*Verum spes reditus, qua nescit fallere quenquam,  
Gratior esse solet, solet & lenire dolores,  
Quos pia mens hominum ex perpetua clade recepit.*

*Spes eadem Te sustentet venerande Magister,  
Spes eadem recreet Te, Christi magne Sacerdos,  
Et Tibi, quod Domino placuit, placuisse memento.*

*Qui Tibi namq. Tuam abstulit, is Tibi reddet eandem,  
Et faciet reducem, cum rite sequeris eandem:  
Non etenim omnino vacuas jam cessit in auras,  
Sed meliore sui in caelis est parte superstes;  
Præmia ibi pietatis, ibi probitatis honores.  
Sentit, quas multi ingeminant, cupiuntque, rogantque.  
Illam ibi nec mors ipsa potest violare cruentis  
Ulterius telis, ibi nil incommodat ipsi.  
Pestis, nil morbi, aut febres, nil bella, vel hostes,  
Dum nos frigus iners, dum nos hic fervidus astus  
Jam nunc constringit, jam nunc incendit & urit;  
Dum nos hic maleuada famæ, & tristis egestas,  
Et pestis, bellig. furor vexat q. premitque.*

*A lachrymis ergo cessa, Venerande Magister,  
Cessa, inquam; nec, qua concepsit gaudia Christus,  
Uxori invideas; reducem spera Tibi eandem,  
Omnes quandoq. victa de morte resurgent!*

Mœstiss. Dn. Viduo, & suo in Christo Patri & conscientia  
tiae curatori debitæ condolentiae ergo scrib.

M. JOHANNES CREMON, Scholæ  
oppidanæ SubRector.

---

*PLangis, ALEXANDER, dilectæ funera costæ,  
Quam sancto junxit foedere castus amor.*

Et

Et meritò plangis Volschà de gente maritam.

Namq; fuit domui firma columnata.

Quis non condoleat tibi jam Vir clare Marito

Quæ solamen erat, demta marita jacet.

Quis non condoleat proli, vir clare, relictæ?

Quæ solamen erat mater ademta jacet.

Plange. Modum planctus statuas: præmissa marita,

Non amissa, solum linquit aditq; polum.

Ter rogo conservet vivum D E U S ille Deorum,

Ut populum doceas, ut sobolem nutrias.

Inspiret cordi solamen Flamen ab alto

Fortiter ut superes, quæ superanda tibi.

Συμπαθείας ἔνεκα apposuit

BERNHARDUS GENDRIAN.

Quando tuas, Vir docte, vices atq; anxia cordis

Deploras, Oculis, suspice, cerne D E U M,

Qui tibi perdurum hoc transmisit desuper ipse baut

Soli portandum & flebile fortis onus

Quid, crucis calicem porrexit, cerne, videbis,

Is Deus est; bonus est, dans bona quæq; bonis.

Hic faciet magnum boce atq; importabile pondus

Conjugij ut solus ferre queas humeris.

Fidus enim Deus est nunquam tentare fideles

Ultra posse solens, crede, levamen erit.

C. condolentia erg. scripsit

JOHANNES MEURERUS.

Tristitia afficiar Te propter, Vir reverende.,

Tristitia quippe afficiar præcordia cordis

In luctum viduum quod conjicularis amatæ

Conjugis ob jam denatæ (hei!) obitumque abitumque.

A. 3

Cre-

Credo equidem, Tibi quòd præsens mutatio rerum  
Contingat (dolor heu!) tristis, quam mitiget ille,  
Qui Tibi eam immisit pro velle & posse benignè.

Est miserum, amplexu quòd sis divulsus amico  
Dilectæ uxoris; sed, quo redderis eidem,  
Tempus erit tandem, atq; brevi affore, credimus omnes.

Illa quidem petijt Cœlum, repetemus idem ipsi  
Et nos, quando Deo visum est: ergo patienter  
Ferto, quod imposuit Tibi jam divina voluntas.

Quæ modò fors gravis est, eadem levior Tibi fiet,  
Uxori cùm Te rursus conjunget Jova.

Quare dēsistas nimium moerere, Jehovæ  
Te credas, qui, quod nunc abstulit, ecce potenter  
Restituet (cernes) coeli in regione serenâ.

Ergo nè curis nimium lacerare molestis;  
Namq; tuam vocat ipse Deus, qui reddere eandem,  
Quippe cupit, qui quippe potest; Tu cede volenti!

*Debita condolentia ergo.*

M I C H A E L Z E R N I K O V I U S,  
in æde D. Nicolai Minister.

*Alloquium piæ defunctæ Matronæ*  
**ELSAE VOLSOHOW** ad moëstum Maritum  
Gnates & Cognatos, ne ob discessum ejus ex hoc vitæ tugu-  
riolo in cœlestem patriam nimis tristitiae sese  
addicant...

**B**estia Gryphiadum Bellona tyrannide Cives  
Cum premit immanti conglomerando moram.  
Gryphorum patriam contagia dira per urbem  
Cum vexant homines, nil faciendo statum.  
Ut, velut autumno vaccæ mactantur; ad orcum  
Attamen ex justo Numine quisq; ruat...  
Quod Domus Aenidum me nec patriæ inclita vatuum  
Occupet amplexu, fide Marite tuae

Cur

Cur pallent tenues egesto sanguine venæ  
Succus & in lacrymas corporis omnis abit :  
Quod sponso Christo magna comitante catervâ  
Sanctorum adducar , pignora chara thori  
Cur fluit ex vestris oculis humor uber , ut olim  
Liquitur Alpinis Nix resoluta jugis :  
Aurea , quæ Christum profitentibus ore paratur  
Aptetur Capiti , quando Corona meo ;  
Cur mihi quos sanguis constanti foedere avorum  
Junxit , pullato pectore fertis ! Eheu  
Nonne satis clarè attestantur scripta JEHOVÆ  
Elle vetus foedus Lime MEMENTO MORI.  
Annon , cum vitâ mortis mutatio , quod sit  
Non mors sanctorum quæstus at Æthereus.  
Verum quid ponis sunt hæc bene cognita nobis  
Nec quisquam sapiens inficiando negat ..  
Tandem post multos infirmum Nestoris annos  
Convenisse suos claudere morte dies .  
Ast malè quod homines habet est ratione decente  
Non parcendo bonos diripuisse malos .  
Nam tribus his verbis nexus me ritè resolvam  
Non Deus ut sensus corde voluntat homo .  
Ergo marite , thori vos & mea pignora chara  
Pone tuis lacrymis ponite quæso modum .  
Et vos per dulces qui me defletis amici  
Pacatos jubeo casibus hisce meis .  
Nam nihil invito medicamina Numine possunt  
Sive Galenus agat , seu Paracelsus agat ..  
Nec Gemitu Cœlum prodest implere , nec ullos .  
Vota Deos animâ deficiente movent .

In sincera condolentie signum L. m. p. hæc scripsit  
CONRADUS FRANCISCUS Friedelieb /  
Osnab. Westph.

Quid sibi mors tandem ? tristi nigrore sacrorum  
Mystarum satagit cur cumulare domos ?

356.  
Tempore (conjicio) minitantur cuncta ruinam.  
Presenti: Dominus iussit abire pios.  
Omen non faustum! vertat mala cuncta supremus  
Rector, qui vita mortis & est Dominus.  
Tu lacrymis noli multum venerande Magister,  
Conjugis ob mortem te macerare precor.  
Hec tua nunc cœlis pietatis premia conjux  
Accipit in Christo qua sine fine manent.  
Invidie nec te stimuli, Vir clare lacestant  
Huic nimio fuctu premia ut in videas.  
Quin potius qua alijs præbes medicamina mœstis,  
Ad quæ bibeas ipsi mœste marite tibi.  
O Deus et herci radiantia sidera cœli  
Qui torques Letbi cui simul imperium.  
Mitte precor mœstis Numen spirabile amicis  
Vivum solamen cœlitus ut capiant.  
Crudelis laxas mortis modereris habenas,  
Desinat insacras mittere tela domos.  
Vos cineres orti VOL SCHOUUM fæmmate claro,  
Nunc nunc ad pitrios vertite vos cineres;  
Donec in extremo Christus vos voce sonorâ  
Suscitet ac animæ jungat ab axe poli.  
Chrono-distichon Annum, Mensem, Diem &  
horam obitus continens.  
Non JVL Iter qVIna DIES & Vesperis hora.  
QVInta aberat, Letbi fæMIna transIt Iter.  
Ita Præceptorem suum quondam meritissimum, nunc  
Viduum mœstissimum consolabatur.

TIMOTHEUS MERTZAN.

---

Terminus extremæ cum nobis imminet horæ,  
Terriculamento quatuor esse solent.  
Mors, Peccatorum moles, Damnatio Legis,  
Ultimus inferni perpetuusq; dolor.

Si Tibi

357

Si tibi chara salus, Christo constanter in uno  
Fige tuos oculos, agnus hic ille Dei est,  
Qui Mortis, qui Peccati, qui Legis, & Orci  
De cruce suspensum secum onus omne tulit.  
O quicunq; sapis, doctrinam mordicūs istam  
In medio retine mortis agone tue.  
Hic nescire Dei legem, hic sapientia summa est,  
Et praeter Christi vulnera scire nihil.  
O meditare tuae momenta novissima vitae,  
Namq; est omnis homo bulla; Memento mori.  
O meditare tuae momenta novissima vitae,  
sic eris ante homines justus & ante Deum.

Sinceræ condolentia ergo fecit.

JOHANNES WINEKE/ ROß. MEG.

---

Ο Τῶς σὺν ἔτλης μητρὸς μὲν πότιμον αἰδῆ  
ζῶν, ἀπέρι εστιμδώς κανύς πότιμῳ Ἐφομαρτίῃν  
ἡγελεσ, ψε τοσιν τεκν' οὐ νοεσσον φίλισσε  
γηλυτέρη, ἐπ σεν ἀποθέσσα πολλὸν ἀρωγῆς;  
αλλ' οὐτως ιότην μαλ ἡρδανε ταῦτα θεοῖς,  
Ἐ λάχθειριν κατεκέιμενον ἐν παλαιμησι.  
ταῦτα δασις ὁ μουσὶς θεος δοτὸς τηλέθ, ἀλαλκει  
γυιούρρας ανίας ηγή γυιούρρας μελεδῶνας,  
ἐλπίδι. Φαιδρυνθεις, οἱ βασίς ἐλίστεται αἰών  
πλισ δε τελιν τόνη αναληψεαι οὐμῷ ἄνοιν.

Condolens fundebat:

JOACHIMUS KRAEVIUS.

---

ILSABE VOLSCHOVVE N.

τειχῶς αναγεμματίζει  
ubi in prio: x inser.

Saucius eo lux bon' lue..

O Jesu lue bona lucis,

Volo, huc is laus bene..

SAUCIUS hinc Eo dum tristis sua spicula tendit.

In me mors, vita filia secatq; nec.

Saucius

**S**AUCIUS hinc Eo dum, pestis sua spicula vibrat.  
 In me, pestiferà vitam adimitq; lue.  
**S**AUCIUS hinc Eo dum, dolor hei, à corde mariti  
 Divellor, natos desero tumq; meos.  
**O** BONA JESU infixa hæc mox LUE vulnera JESU.  
 Proq; malis istis, da BONA perpetua.  
 Sis mihi lux, verae qua freta ad gaudia LUCIS  
 Per tenebras mortis scandere ritè queam.  
 Eja VOLO, dicit JESUS, per vulnera sœva hæc,  
 Huc Is ubi LUCIS gaudia semper erunt.  
 Huc Is ubi non Mors, non pestis sœva nocebit,  
 Non gladiusve fames, sunt ubi cuncta BONA.  
**L**AUS igitur tibi sit JESU qui lata dedisti  
 Pro mortis variis, est mihi namq; BENE.  
 His tristem solare animum, lepiq; dolorem,  
 Cum charis natis chare marite, Vale.

*In piam condolentiam & condolentem pietatem  
paucula hæc scribere voluit.*

JACOBUS TESNOVIUS G.P.

**H**aud te unquam majus potuit pressisse gravamen.  
 Confiteor, de te quam dum pars altera cordis  
 Abripitur jam, quæ castis est moribus Uxor.  
 Ne verò nimius luctus te CLARE MAGISTER  
 Constringat, casum quo fortiter huncce ferendo  
 Devincas, tu Spemq; Fidemq; ad dulce levamen.  
 Sustentes, hæc dormiat interea tua conjunx,  
 Viva hæc sinceræ cultum Pietatis amabat,  
 In Christum semper quæ Spemq; Fidemq; locabat  
 Cujus & in gremio nunc morte soluta quiescit,  
 Et cum quo fruitur cœlestis munere vitae,  
 Cumq; piis tandem in postrema luce resurget.

*Debitæ condolentie contestandæ ergo in ultimum de se optimè  
meritæ Matronæ honorem lugens hæc affixit*

JOACHIMUS MARCUS W. P.

OS) O(CS)



# Skanowanie i opracowanie graficzne na CD-ROM :



ul. Krzemowa 1  
62-002 Suchy Las

[www.digital-center.pl](http://www.digital-center.pl)  
[biuro@digital-center.pl](mailto:biuro@digital-center.pl)  
tel./fax (0-61) 665 82 72  
tel./fax (0-61) 665 82 82

**Wszelkie prawa producenta i właściciela zastrzeżone.**

**Kopiowanie, wypożyczenie, oraz publiczne odtwarzanie w całości lub we fragmentach zabronione.**

**All rights reserved. Unauthorized copying, reproduction, lending, public performance  
and broadcasting of the whole or fragments prohibited.**